

aliqua usu tradatur, reddenda postea cum pretio aliquo; — c) usum mutui qualis hodie viget, Ecclesia olim ut usuram plane damnabat, nunc tacita tolerat.

**Objic. 1°** Res intrinsece mala nunquam fieri potest bona; *a.* usura est intrinsece mala; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* si plus exigitur ratione mutui, *c;* si ratione extrinseca, *n.*

**Objic. 2°** Lex naturalis est immutabilis; *a.* usura erat olim ex lege naturali illicita; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* usura ratione mutui, *c;* rationibus extrinsecis (accidentalibus), *sd.* quia istae adjunctorum rationes non existebant, *c;* secus, *n.*

**Objic. 3°** Non licet pauperes ultra opprimere; *a.* ad hoc tendit taxa legalis moderna; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* si per fraudem applicatur, vel si ipsa lex est male confecta, *c;* secus, *n.* (non licet a paupere pro parva pecunia, cujus restitutio certa est, lucrum capere).

**Objic. 4°** Ecclesiae leges non approbant. — *R.* Sed hodie, propter mutata adjuncta externa, non vetant, dummodo parati simus ejus decisioni, si quando definiendum judicaverit, stare.

## PARS TERTIA.

### DE ACTU HUMANO SOCIALI.

De sociali humana natura et ordinatione plura capita sunt tractanda. Est enim initio generice ipsa societatis notio evolvenda et humanae naturae inclinatio ac necessitas societatis stabilienda; dein vero de singulis societatibus specialius dicendum.

Caput I. De societate humana in genere.

Caput II. De societate domestica.

Caput III. De societate civili.

Caput IV. De societate internationali.

#### CAPUT I.

##### DE SOCIETATE HUMANA IN GENERE.

###### Propositio 114.

Omnis societatis humanae essentialia proprietates sunt : unitas finis, consensio mentium, concordia voluntatum, coordinatio mediorum, actionis efficacia.

**Notiones.** 1) Evidens est factum, hominem non solitarium in nostro mundo vagari, sed multos simul coexistere in terra homines. Non tamen

solum illud sine nexu consortium esset *societas*; sed haec est generatim : unio constans plurium entium intelligentium, circa bonum aliquod, qua commune, suis actibus conspirantium.

2) Explicatur praecedens definitio : a) *unio plurium* : ex sensu obvio, etiam vulgari, et communi, societas dicitur ex pluribus conjunctis unitatem aliquam.

b) *Constans*; nam congressio plurium transitoria, ad rem aliquam uno conatu perficiendam non nisi improprie societas dicitur.

c) *Entium intelligentium* : unio entium non intelligentium non esset nisi ratione spatii, v. c. frumenti in sacco, vel ratione similitudinis et simultaneitatis in agendo, v. c. arborum vere novo frondentium; *a.* talia nemo usu communi societatem dicit; *e.*

d) *Circa bonum, qua commune* : in hoc consistet necessario unitas inter plura intelligentia, quae sit vere aliqua unitas, non mera casu facta simultaneitas, quasi v. c. plures, sed pro se quisque, eidem rei student.

e) *Conspirantium* : ita ut activitates singulorum uniantur in unam activitatem collectivam.

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur quae sit essentia societatis inter homines. Et respondemus duabus propositionibus, ita ut hac priore effectus et proprietates necessarias perpendamus, unde in posteriore ipsum principium seu naturam concludamus.

2) Respondemus de societate *humana*, nam quum generatim societas possit esse circa bonum commune conspiratio quaecumque; in futura vita poterit haec esse in perfecti boni perfecta possessione et mutua communicatione; in praesenti vero vita non nisi in boni conquisitione cum conatibus consistit.

**Prob.** Ex usu communi et aestimatione ordinaria hominum, in hoc differt societas a mera multitudine et consortio, quod in societate est aliqua unitas moralis plurium, qua certum aliquem finem communem, ut finem et ut communem, prosequantur activitate communi ut communi; *a.* haec omnia inveniri nequeunt sine propositis proprietatibus; *e.*

**Prob. min.** Essentialis perfectio societatis consistit in ejus aptitudine ad finem obtinendum; *a.* sine propositis proprietatibus, alii alium finem intendentes, alii alia media etiam opposita aestimantes esse oportuniora, parantes, et adhibentes, bonum nullum acquirerent efficaciter, sed se mutuo impedirent, vel omnes simul in actione languerent, ac proinde ad finem obtinendum inepta esset unio; *e.*

###### Propositio 115.

Societatis materia et forma metaphysica sunt multitudo et conspiratio in finem unum : materia et forma physica sunt subditi et auctoritas.

**Stat. quaest.** 1) Jam ex praecedente societatis analysi concludere volumus ad intimam essentiam ejus; idque sicut in aliis rebus, ita et hic, aptius efficitur si materiae et formae conceptus applicamus.

2) Sed in societate non unum ens per se invenitur, quod ex materia et forma constet. Totum ergo huic enti uni per accidens debet per metaphoram applicari; et explicabitur quantum fieri potest essentia ipsa hujus entis metaphorice unius.

**Notiones.** 1) Recolendae hic omnino veniunt notiones in ontologia traditae, formae et materiae logicae, metaphysicae et physicae (cfr. ontol. prop. 66).

2) *Auctoritas* est jus obligandi moraliter et dirigendi omnia membra alicujus societatis ad finem communem. Ejus est igitur media eligere et determinare ac praescribere.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (metaphysica).** Illa sunt materia et forma metaphysica, quae in ipsius rei *conceptu* exhibentur tanquam subjectum quod habet aliquam essentiam, et nota essentialis qua illud subjectum habeat talem essentiam; *a.* in conceptu societatis exhibetur multitudo tanquam id quod sit societas, et conspiratio in finem unum, tanquam id quo haec multitudo fiat societas; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (physica).** Illa sunt materia et forma physica, quae *a parte rei* sunt subjectum alicujus essentiae, et determinatio subjecti quae illi dat esse illius essentiae, et est fundamentum quo illud subjectum suas essentielles proprietates habet; *a.* in societate subjectum quod conspirat sunt subditi seu membra associata, et illud quo concrete obtinetur haec conspiratio et unio mentium, voluntatum, operationum, atque efficacia omnis, est auctoritas; *e.*

**Objic.** Necessitas auctoritatis ad habendam conspirationem, oritur ex varietate tendentiarum in singulis individuis, ac proinde praesupponit aliquam eorum pravitatem et egoisticam inordinationem; *a.* ita haec necessitas auctoritatis non est ex ipsa natura societatis, sed per accidens tantum, propter imperfectionem membrorum; *e.* auctoritas non est essentialis forma omnis societatis, sed tantum attributum requisitum in societate inter homines quales nunc sunt. — *R. d. maj.* oritur ex necessitate colligendi omnium individuum activitates in unitatem activitatis socialis, quae si deficeret multae essent activitates individuae similes et forsan concordēs, sed nulla conspiratio formaliter una, *c.*; oritur ex necessario praesupposita oppositione tendentiarum cohibendarum, ac pravitate singulorum, *n.* — *c. d. min.*

**Instant.** Si omnia individua supponantur perfecte bonae voluntatis et cognitionis circa eundem finem unum, existet perfecta omnium conspiratio, sine auctoritate; *e.* — *R. d. ant.* conspiratio materialis, i. e. conformes tendentiae multae, *c.*; conspiratio formalis, i. e. tendentia una socialis, *sd.* sine ulla ulliusmodi auctoritate, *n.*; sine monarchica vel inaequalium auctoritate, sed cum democratica, ex omnium aequalium universali suffragio manifestata, et in ipsa multitudine residente auctoritate, *c.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo sine auctoritate nulla societas possibilis est, scilicet sine principio intrinseco essentiali unitatis tendentiae conspirantis in finem unum.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo societas est ens moraliter unum, auctoritate una in conspirationem unam redactum; subjectum variorum officiorum et jurium erga singula individua membra sua: unde et *persona moralis* dicitur.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Saepe etiam jura et officia aliqua societatis alicujus agnoscuntur erga personas quae non ejus membra sunt (sive individua sive integras societates qua tales): unde et altero sensu dicitur *persona moralis*; estque haec personalitas fictio aliqua abstracta, quae apprehenditur quasi ens quoddam morale, habens existentiam suam propriam et independentem ab individuis societatem constituentibus, ita ut etiam individuis membris mutatis vel deficientibus, ipsum nec mutetur nec deficiat.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo socialis auctoritatis existentia prior est quacumque sociorum voluntate illius creandae, ab eaque est independens, ut elementum essenziale intrinsecum ipsius societatis; ac proinde auctoritas, sicut omne aliud verum jus, a Deo manat, solo nempe domino omnium voluntatum. Atamen confundi non potest haec essentialis existentia auctoritatis in societate, cum particulari designatione determinatae personae quae auctoritatem exerceat, ac dicatur subjectum auctoritatis (de qua cfr. infr.).

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Ergo totus et unicus finis auctoritatis socialis est bonum sociale procurandum; — nam a) finis formae essentialis alicujus naturae est constitutio et perfectio illius naturae; — b) auctoritas non est nisi jus socios efficaciter dirigendi ad finem socialem, seu commune bonum.

#### Propositio 116.

**Oritur quidem socialis auctoritas a jure individuorum circa bonum aliquod, sed distincta est ab individualium jurium summa.**

**Stat. quaest.** 1) Post analysim societatis in genere et essentialis auctoritatis, quaeritur etiam generice de hujus socialis formae ortu et intima natura.

2) Respondent multi, saeculo nostro et praecedenti, auctoritatem socialem nihil aliud esse quam aggregatum quoddam et summam jurium individualium, multitudini consociatae competentium; ita nempe ut socii sua judicia et voluntates singulares ad commune bonum congesserint, nihil vero aliud sit auctoritas.

3) Respondemus distinctione facta inter ortum immediatum auctoritatis, et ejus naturam intimam.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (oritur...).** Individui homines jus habent ad bonum suum procurandum et conservandum et augendum, atque ad media honesta quibus sine aliorum laesione illud obtineant; *a.* saepe bonum singulorum multorum est simile et connexum, et medium ad hoc aptum, ac fere unicum, est socialis conspiratio ad illud, neque inde ullus alius laeditur; *e.* ex illis juri- bus individuum immediate oritur istorum societas, ac proinde auctoritas socialis.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*sed distincta est*). Auctoritas socialis est jus quoddam superius omnibus juribus individualibus, etiam collective sumptis, et ab iis diversum; *a.* in mera summa nihil est quod non sit in singulis vel in aliquo singulorum; *e.*

**Prob. 1 part. maj. (superius).** Auctoritatis socialis est, sociorum actiones coordinare et subordinare ut in finem unum conspirent; *a.* ad hoc debet illis actionibus, ac proinde singulorum juribus, dominari, eaque immutare; *e.*

**Prob. maj. 2 part. (diversum).** Multa potest socialis auctoritas, quae individua nullo jure possunt, v. c. alios cogere ad bonum commune etiam nolentes, etiam cum proprii alicujus boni jactura et juris privati cessione; *e.*

**Coroll.** Ergo essentialiter differt auctoritas socialis et dominium (cfr. sup. de proprietate).

### Propositio 117.

**Homo natura sua inducitur ad vitam in societate cum aliis degendam.**

**Stat. quaest.** 1) Ad quaestionem, unde oriatur societas inter homines, generatim, abstrahendo a variis societatum specificationibus et conformationibus; respondet *Th. Hobbes* statum naturalem hominis, propria bona et comoda quaerentis, esse necessario statum *belli singulorum contra omnes*, sine ulla societate; ex quo statu ad majorem securitatem et fruitionem, et propter metum ac necessitatem, homines exiverint per mutuam pacis conventionem; et exinde paulatim in varias societates per partialem propriae libertatis abdicationem pervenerint, eam tamen initio liberam, et semper revocabilem vel modificabilem.

2) Respondet *J. J. Rousseau*, statum naturalem humanum esse extra omnem societatem, *solivagum, innocuum et inculta libertate felicem*; ex quo statu homines, per nescio quam illusionem decepti, exiverint in societates pacto sociali constituendas, atque ita originariam aequalitatem quam confirmare volebant, potius amiserint et in sociales inaequalitates deciderint.

3) Respondemus hominem non solum esse naturaliter aptum et capacem vitae socialis, sed etiam naturae efficaci impulsu ad eam induci.

**Prob. 1<sup>o</sup>** Vita socialis dicit generatim nexus morales quibus homines circa bona communia unitis viribus et mutuis auxiliis contendunt; *a.* ad tales nexus ipsa natura homines efficaciter impellit; *e.*

**Ad min.** Tales nexus vi naturae humanae requiruntur: a) ad homines generandos, educandos; — b) ad hominum intellectum et facultates omnes evolendas et perficiendas; idque ab infantia et per totam vitam; — c) ad exercenda efficaciter et debite officia hominum erga alios homines quibuscum vivunt in consortio; — d) ad satisfaciendum inclinationibus naturalibus benevolentiae, commiserationis, congaudii, communicationis per loquelam, etc.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Absurdum est pactum sociale ad quod *Hobbes* et *Rousseau* recurrere debent; *e.*

**Prob. ant.** Essentiale tali pacto secundum auctorum suorum mentem est: 1) ut sit origo omnis societatis, 2) ut sit origo prima omnis moralitatis et juris, 3) ut finem imponat statui naturali, solivago, silvestri, 4) ut sit liberum singulis societatis membris, atque ita conciliet singulorum libertatem et aequalitatem cum eorum sociali inaequalitate; — *a.* haec omnia sunt absurda; *e.*

**prob. min. 1 part. (origo societatis).** Sic oriretur aut sola societas civilis, aut omnis omnino societas; — *a.* non prius (nam societas civilis supponit societates domesticas ex quibus coalescat); — non posterius (nam ipsa existentia et nutritio ac educatio primorum contrahentium jam praesupponit societatem parentum et filiorum, i. e. domesticam; — nisi quis velit gratuito et absurde supponere primos plures simul in statu aetatis adultae creatos, vel sponte ortos!); *e.*

**prob. min. 2 part. (origo moralitatis et juris).** Ipsum hoc pactum firmum esse non poterat nisi praesupposita morali obligatione hoc pactum servandi, et jure fidem datam exigendi; *e.*

**prob. min. 3 part. (finem imponens).** Status naturalis in statum contranaturalem mutari non poterat, quin tanti facti vestigia et memoria retinerentur, et quin tendentia naturalis ad pristinum statum redeundi permaneret; *a.* talia nusquam ullo modo apparent; *e.*

**prob. min. 4 part. (liberum singulis).** Libertas haec aut fuit apud solos primos contrahentes, aut est etiamnum apud nos singulos; — *a.* si prius, nos ligamur voluntate aliena, et nihil explicatur; — si posterius, nos consensum recusare possumus, et non ligamur, et perit omnis societas, turbata omnia in vitam beluina abeunt; et nihil explicatur sed destruitur; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo adest vinculum aliquod genericum sociale inter omnes homines; ac proinde quoties homines simul versantur, jam aliquo vinculo societatis constringuntur, independenter ab omni pacto, etc.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo falsum est, homini naturaliter inesse odium auctoritatis; id enim non ex natura qua tali, sed ex ejus libertatis abusu inest, neque omnino inest necessario.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Plurima mala societatem consequuntur, quae extra illam haberi non possent; *e.* haec non est naturalis. — *R. d. ant.* ex natura societatis, *n.*; ex abusu hominum, *sd.* minora tamen et pauciora quam quae sequerentur ex defectu societatis, *c.*; secus, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Homines sunt inter se naturaliter aequales; *e.* societas et auctoritas non est naturalis. — *R. d. ant.* in abstracto, secundum naturam specificam, *c.*; in concreto, secundum ordinem a natura praescriptum, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Mutua benevolentia et unio fundatur in spe utilitatis et appetitu propriorum commodorum; *e.* — *R. n. ant.* (sed in natura).

**Objic. 4<sup>o</sup>** In societate naturaliter oriuntur rixae et bella; *e.* — *R. d. ant.* ob jura violata et abusum libertatis, *c.*; simpliciter ex impulsu naturae ferocis, *n.*

**Objic. 5°** Major est dignitas hominis si subicitur libere, quam si necessario; *a.* per contractum sociale subicitur libere; *e.* — R. *d. maj.* si subicitur, quocumque modo, etiam libere, homini qua tali, major est dignitas quam si subicitur legi naturali, ac proinde Deo, et propter Deum homini, *n;* aliter, *tr;* — *c. d. min.*

*Inst.* Saltem magis favet populorum libertati, si non alia sit lex quam voluntatis communis expressio. — R. *n.* (contra est, nam ita quidquid communitas vel ejus caput voluerit, justum erit; et sic favetur despotismo).

**Objic. 6°** Homo est naturaliter liber et ab aliis independens. — R. *d.* secundum naturam specificam, *c;* in concreto, *n.*

**Objic. 7°** Dependencia, quom non oriatur ab ipsa natura humana, oritur a pactis; *e.* — R. *d. ant. 1 part.* non oritur a natura abstracte specifica, *c;* non a natura concreta, *n;* — *d. 2 part.* a pactis, semper, *n;* saepe, *c.*

**Objic. 8°** Nullus status est conformis naturae humanae nisi homo per liberam suam voluntatem in eo versetur; *e.* — R. *n.* (v. c. filius non elegit suos parentes et familiam).

**Objic. 9°** Pacta essentialiter requiruntur ad formandam societatem; *e.* — R. *d. ant.* societatem naturaliter existentem, seu in qua quis nascitur, *n;* societatem novam, *sd.* ad formandam societatem, *c;* auctoritatem in ea, *n.*

**Objic. 10°** Nemo qui habet rationem et liberum arbitrium, potest alteri subijci. — R. *n.* (non eam amittit).

*Inst.* Auctoritati non libere subijci est dedecus homini, servitus. — R. ad 1<sup>m</sup> *d.* si auctoritatis finis est hominem ducere ad perfectionem, *n;* si alius esset finis, *c.* — ad 2<sup>m</sup> *n.* (quid est servus?)

**Objic. 11°** Ut status homini naturalis dignoscatur, hominem exuere oportet omnibus donis superadditis et facultatibus arte acquisitis; *a.* tunc remanet homo silvestris solivagus; *e.* — R. *d. maj.* exuere facultatibus naturatibus sponte evolutis, *n;* mere artificialibus, *tr.* — *n. min.* (manet tamen essentialiter rationalis, et in familia constitutus).

**Objic. 12°** Status societatis supponit ideas universales (conspirationis, boni communis, medii ad finem); *a.* in statu naturae purae (sine sermone) hae non possunt haberi; *e.* — R. *d. maj.* ideas aliquas universales, *c;* etiam illas magis reconditas quae ex sermone hauriuntur, *n.* — *c. d. min.* — et *n. supp.* (sermonem esse aliquid non naturale, cfr. psych.).

**Objic. 13°** Multi reperti sunt in America, vel circa polos, homines beluarum more viventes; *a.* hi in statu naturae manserant; *e.* — R. *d. maj.* i. e. depravati, *c;* sine ulla moralitate, notione Dei, societate, *n.* — *n. min.* (gratis affirmatur).

**Objic. 14°** Homines in statu naturae, aut sunt feroces et rapaces, et sic alios laedunt et aggrediuntur, aut mites et pacifici, et sic ex necessitate saltem se suaque defendentes, alios laedere incipiunt; *e.* ex natura ad bellum contra omnes incitantur. — R. *ad ant. 1 part :* *d.* feroces laedunt ex inclinatione naturali, *n;* ex perverso habitu acquisito, *c.* — *ad 2 part :* *d.* mites inter se pugnabunt, *n;* cum malis aggressoribus, *c.*

**Objic. 15°** Ingenia diversa sunt, et dissentiunt inter se; *a.* dissensus odium, contemptum, bellum parit; *e.* — R. *d. tot.* ex natura, *n;* ex defectu individui, *c.*

**Objic. 16°** Natura inclinatur singulos ad bonum suum quaerendum; *a.* in societate bonum singulorum bono communi cedere debet; *e.* — R. *tr. maj.* — *d. min.* bonum singulorum finale, *n;* bonum quod est medium ad finem non necessarium, *sd.* cedit bono majori communi et consequenter etiam ipsius individui, *c;* secus, *n.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Prorsus differt ille *status naturalis* quem absurde affirmant Hobbes et Rousseau, et alius ille *status naturalis* quem nos scholastici in toto hoc nostro studio ethicae philosophice supponimus, nempe naturam humanam inspicientes, abstrahendo ab ejus elevatione ad statum supernaturalem, theologis investigandum; item etiam alius *status naturalis*, prout aliquando dicitur, quem nos in parte secunda hujus ethicae consideravimus, scilicet naturam humanam quatenus haec prior vinculo sociali est, atque inspicere potest abstrahendo ab hoc vinculo.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Ex ipsa natura societatis sequitur, nullam societatem esse finem in se, sed omnem societatem tanquam medium debere ad finem ultimum hominis subordinari; neque proinde ab ulla auctoritate sociali valide imperari posse actum moraliter malum.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Sicut omnis tendentia, ita et societas essentialiter specificatur a fine suo.

**Schol. 4<sup>m</sup>** Varie dividuntur societates :

1) Ratione durationis est *stabilis* seu *permanens*, quae vel perpetuo vel longum tempus sit duratura, sive ex natura sua, sive ex intentione subjectorum; — vel *transitoria*, quae ad breve tempus inquitur.

2) Ratione materiae est *simplex* seu *inorganica*, cujus membra immediata sunt subjecta individualiter sumpta; — vel *composita* seu *organica*, cujus membra immediata sunt societates minores jam constitutae; ac membra mediata, subjecta individua ratione illarum minorum societatum.

3) Ratione finis, est *completa*, quae intendit bonum totius personae, non bonum aliquod particulare, sed bonum universale saltem sub aliquo genere (ac complectitur totam activitatem hominis); — vel *incompleta*, quae intendit bonum aliquod specificè determinatum (haec convertit ad se speciem tantum actionum hominis).

4) Ratione causae est *arbitraria*, quae libera voluntatis electione inducitur; — vel *naturalis*, ad quam natura humana per se efficaciter inducit, licet non detur proprie dicta obligatio eam ineundi; — vel *necessaria*, quae ab ipsa natura imponitur homini, sive facto *physico*, sive obligatione *moralis* proprie dicta.

5) Ratione auctoritatis est *aequalis* si auctoritas est penes totam multitudinem collectivè sumptam; — vel *inaequalis* si ea est penes unam vel plures personas, quibus reliquae subijciuntur.

6) Ratione propriae sufficientiae, est *perfecta* seu *independens*, quae sibi plene sufficit quoad media obtinendi finem, ita ut in hoc a nulla alia societate dependeat; — vel *imperfecta* seu *dependens*, si secus.

*N. B.* Potest societas aliqua esse simul imperfecta et tamen completa, v. c. societas domestica.

## CAPUT II.

### DE SOCIETATE DOMESTICA.

Prima quae explicanda nobis obvia fit societas, ea est, quae duce natura maxime necessaria est, quae in singulis hominum domibus invenitur, unde domestica dicitur. Hanc nos latissimo suo sensu intendimus sumere, quatenus nempe et conjugatos virum et mulierem, et eorum prolem, et simul servos, famulos, operarios mercenarios complectitur. Unde variae erunt quaestiones :

- Quaestio 1. De matrimonio.
- Quaestio 2. De parentibus et prole.
- Quaestio 3. De hero et servo vel famulo.
- Quaestio 4. De patrono et operario.

#### QUAESTIO 1.

##### De matrimonio.

#### Propositio 118.

**Societas conjugalitatis ex ipsa natura oritur.**

**Notiones.** *Societas conjugalitatis*, seu *matrimonium*, est viri et mulieris conjunctio ad procreandam et educandam prolem et ad mutuum vitae subsidium ordinata. — Haec ergo tanquam fundamentum suum praesupponit intimam mutuam dilectionem, et stabilitatem aliquam necessario inducit.

**Prob.** Natura (Deus) vult propagationem generis humani, eamque non qualemcumque sed dignitati naturae humanae conformem; *a.* haec sine societate conjugali obtineri nequit; *e.*

*Ad maj.* 1) Naturalis finis omnium mundanarum rerum est ut homini prosint, tanquam media ad ipsum finem hominis : vitam ita degendam ut beatitudinem mereatur (cfr. theolog. natur. et ethic. supr.); *a.* tantorum, tam multiplicium, ac tam permanentium mediorum finis non exhauritur in una generatione hominum, simul tam brevem vitam viventium; *e.*

2) Natura dedit homini, etiam invito, vehementem concupiscentiam ad sexuum conjunctionem; et simul organa et facultates sexuales aptissime disposuit ad propagationem obtinendam; insuper ipsam viri ac feminae indolem,

inclinationes et potentias naturales ita moderata est, ut vere appareant vir et femina esse mutuum vitae complementum; *e.*

3) Natura eo ipso quod homini rationem ac voluntatem spiritualem dedit, quibus tota reliqua ejus activitas subjiceretur et regeretur, voluit ut omnia humana fierent huic rationalis naturae dignitati conformiter.

*Ad min.* Conjunctionem stabilem, seu societatem illam requirunt : 1) conditio mulieris ante et post partum, — 2) conditio prolis, cujus vires physicae, intellectuales, morales, per educationem evolvendae, et quidem ab ipsis parentibus [quia : a) ipsi esse dederunt, et in statu extremae necessitatis posuerunt, ergo perficiant et adjuvent oportet, b) officium amoris inter homines strictius valet pro parentibus erga prolem, c) hoc ipse amor quasi instinctivus parentum postulat], — 3) mutua dilectio quam praesupponit conjugium; *e.*

#### Propositio 119.

**Finis matrimonii immediatus et primarius est generis humani perpetua propagatio per prolis generationem et educationem; secundarius finis est mutuum conjugum vitae subsidium; finis mediatus est prosperitas generis humani.**

**Stat. quaest.** 1) Hos varios fines omnes esse vere matrimonii fines, satis etiam ex ipso vulgari conceptu patet; sed essentiam ejus magis scientificè quaerentes, dispicere volumus quo ordine inter se illi fines cohaereant ac possint in unitatem societatis convenire, eamque specificare.

2) *Finis*, scilicet finis *operis*, non finis *operantis*, i. e. finis ad quem *natura sua intrinseca* destinatur et tendit matrimonium; non autem finis ad quem *homo vellet* uti matrimonio tanquam medio, v. c. ad divitias, vel nobilitatem; vel quem solum intenderet, aliis neglectis vel etiam exclusis, v. c. solum mutuum solatium, sine generatione prolis.

3) *Finis immediatus*, i. e. essentialis et singulis conjugii proprius, ad quem per se instituta est naturaliter societas conjugalitatis.

4) *Finis mediatus*, i. e. remotus, non singulis conjugii obtinendus, sed ex conjugii hominum collective sumptis sequens, et quidem eo perfectius quo fines immediati perfectius attinguntur.

5) Tria igitur sint ostendenda : a) generationem et educationem esse finem immediatum primarium, — b) mutuum subsidium esse finem immediatum secundarium, — c) prosperitatem generis humani universi esse finem mediatum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (generatio et educatio).** Ille est finis immediatus primarius matrimonii, a) ad quem natura primo et maxime impellit conjuges, vi naturalis inclinationis, b) qui a natura volitus est, nec tamen aliter quam per conjugium obtineri potest; — *a.* haec de generatione et congrua educatione prolis verificantur; *e.*